

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Des. Erasmi Familiarium colloquiorum opus

Erasmus, Desiderius

[Heidelberg], [ca. 1615]

Hippoplanvs. Avlvs, Phaedrvs

[urn:nbn:de:bsz:31-109179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109179)

FAMIL. COLLOQVIA. 371

(*) HIPPOPLANVS.

AVLVVS, PHÆDRVS.

Colloq. Helv.
p. 243.

AV. Deum immortalem (a) ὅς σε οὐρανὸν ὀρώμενος
noster Phædrus, & subinde in cœlum suscipit! *Ad-
oriar.* Quid accidit novæ rei Phædre? PHÆD.
Quamobrem istuc interrogas Aule? AVL. Quo-
nam è Phædro mihi videris factus Cato, tanta est
in vultu severitas. PH. Non mirum, amice, modò
confessus sum peccata mea. AV. Phy, iam desino
mirari: sed dic agè bonâ fide, confessus es omnia?
PH. Omnia, quæ quidem in mentem veniebant, u-
nico duntaxat excepto. AV. Cur unū hoc reticisti?
PH. Quia nondum potuit mihi displicere. AVL. O-
portet esse peccatum suave. PH. An peccatum sit,
nescio: sed tamen, si vacat, audies. AV. Audiam
equidem libens. PH. Scis quanta sit impostura
apud nostros in his, qui vendunt aut locant equos?
AV. Plus scio quàm vellem, non semel ab illis delu-
sus. PH. Neper incidit mihi iter, cum satis proli-
xum tūc etiam accelerandum: Adeo quendam ex
illis, quem dixisses eius generis minime malum, &
intercedebat mihi cum homine etiam nonnihil ami-
citiæ. Narro, mihi rem esse seriā: opus esse præ-
strenuo equo: si unquam præbuisse se mihi bonum
virum, nunc præstaret. Ille pollicetur se sic mecum
acturum, ut ageret cum fratre suo charissimo. AV.
Fortassis & fratri impositurus. PH. Inducit in
stabulum: iubet ut eligam ex omnibus equis quem-
cūq; vellem. Tandem unus plus cæteris arridebat:
ille

ille probat iudicium meum, deierans eum equum
 frequenter à multis expetitur esse: se eum maluisse
 servare amico singulari, quàm ignotis addicere.
Conventum est de pretio, numeratur pecunia præ-
sens: conscendo. Mira alacritate gestiebat equus in
 egressu, dixisses feroculum esse: nam erat obesulus
 & pulchellus. Vbi iam equitarem sesqui horam, sensi
 planè lassum, nec calcaribus quidem impelli posse.
 Audieram tales ab illis ad imposturam alii, quos è
 specie indicares insignes, ceterum laboris impatien-
 tissimos. Ego continuo mecum, Captus sum, Agè
 par pari referam, ubi rediero domum. A.V. Quid
 hic consilii capiebas, eques absq; equo? P.H. Id quod
 res dabat, deflexi in proximum vicum: illic clam
 apud quendam, mihi notum deposui equum, & con-
 duxi alterum: profectus sum, quò destinaram: re-
 versus sum: reddo conductitium equum: reperio
 meum (b.) sophistam, ut erat obesum & pulchrè re-
 quietum: eo vectus, redeo ad impostorem, rogo ut in
 stabulo suo alat dies aliquot, donec repetiero. Per-
 contatur quàm commodè me gesserit: ego verò deie-
 ro per omnia sacra, me nunquam in vita conscen-
 disse tergum equi felicioris, volasse potius quàm am-
 bulasse, nec tam longo itinere unquam sensisse lassi-
 tudinem, nec pilo factum ob laborem macriorem.
 Hec cum illi persuasissem esse vera, tacitus secum
 cogitabat, equum illum alium esse, quàm hactenus
 suspicatus esset.

Itaq; prius quàm abirem, rogabat num mihi ve-
 nalis esset equus, primò negabam, quod si inciderit

iter denuo, non facile fore nancisci similem: attamen nihil esse mihi tam charum quod non esset venale pretio largo, etiamsi quis meipsum, inquam, cuperet emptum. AV. Ne tu pulchrè Cretensem agebas cum Cretensi? PH. Quid multis? Non dimittit me, nisi pronuntiata equi indicatura. Indicavi non paulo pluris quam emeram. Digressus ab homine, mox suborno, qui mihi partem agat huius fabulae, pulchrè instructum atq; edoctum. Is ingressus domum, inclamat locatorem: ait sibi opus esse insigni equo, & laboris egregiè patienti. Alter ostendit multos, & pessimum queng, maximè predicat: solum illum, quem mihi vendiderat, quoniam existimabat verè talem, qualem predicaveram non laudat. At alter ilicò rogat, num & ille venalis esset: nam descripseram illi formam equi, & locum indicaram. Locator primum obticescere atq; alios ambitiosè predicare. Cùm iste, ceteris utcunq; probatis, semper ageret de uno illo, tandem locator apud se. Plane fefellit me iudicium de illo equo, siquidem hic peregrinus agnovit statim hūc inter omnes. Cùm instaret ille: Tandem, hic venalis est inquit, sed pretio fortassis deterreberis. Non est, inquit ille, magnū pretium, si rei dignitas respondeat: Indicavit aliquantò pluris quam indicaram ipsi captans & hoc lucri. Tandem convenit de pretio: datur arcti satis magna, nempe regalis aureus, ne qua suspicio incideret simulatae emptionis. Emptor iubet equo dari pabulum: se mox ait rediturum, & abduclurum: dat etiam stabulario drachmam.

Ego

Ego simulatque cognovi pactionem esse firmam sic ut rescindi non posset, rursus ocreis & calcaribus armatus, redeo ad locatorem, anhelus clamo. Adest ille, rogat, quid velim. Illicò, inquam, adorneur equus meus. Nam è vestigio proficiscendum est ob rem maximè seriam. Atqui modo, inquit, mandabas, ut aliquot dies alerem equum tuum. Verum, inquam: sed præter expectationem obiectum est negotium, idque regium quod nullam patitur dilationem. Hic ille, Eliges ex omnibus quem voles, tuum habere non potes. Rogo, quamobrem? Quoniam venditus est, inquit. Ibi ego simulatâ magnâ perturbatione, Prohibeant, inquam superi, quod dicis. Hoc obiecto itinere non venderem eum equum, etiam si quis numeret quadruplum: incipio rixam, clamo me perditum. Tandem incaluit & ille. Quid opus, inquit, his iurgiis? Indicasti equum, ego vendidi, si numero precium, nihil habes quod mecum agas, sunt in hac urbe leges, ad exhibendū equum me non potes compellere. Cūm din clamaſsem, aut equum exhiberet, aut emptorem: tandem iratus numerat precium. Emeram quindecim aureis: estimaram viginti sex. Ille estimarat triginta duobus. Cogitabat apud se: præstat hoc lucrifacere, quàm equum reddere. A beo dolenti similis, ac vix placatus etiam datâ pecuniâ. Ille rogat, ut boni consulam, se aliis in rebus pensaturum hoc incommodi. Sic impositum est impostori. Habet equum nullius pretii. Expectat, ut qui arram dedit veniat numeratum pecuniam. At nemo venit, nec unquam ven-

FAMIL. COLLOQUIA. 375

turus est. AV. Interim nunquam tecum expostulavit? PH. Quâ fronte, aut quo iure id faceret? Convenit quidem semel atque iterum, conquestus est de fide emptoris. Verum ego ultrò expostulavi cum homine, dicens illum eo malo dignum, qui præproperâ venditione tali equo me spoliârit: Hoc est crimen tam benè collocatum, meâ sententiâ, ut non possim inducere animum confiteri. AVL. Ego mihi (c) statuat poscerem, si quid tale designassem: tantum abest, ut confessorus sim. PH. An ex animo loquaris, nescio: mihi tamen addis animum, quò magis libeat talibus facere fucum.

(*) Hippoplanus qui imponit invendendis equis. (a) Id est, severitatem vultu præ se fert. (b) Meum sophistam, id est, fucatum equum. (c) Honoris gratiâ statuat ponantur bene meritis de Republica.

ΠΤΩΧΟΛΟΓΙΑ.

(*) IRIDES, MISOPOMYS.

IRI. Quam ego huc novam avem video advocare? Agnosco faciem, sed vestis non convenit. Aut ego prorsus hallucinor, aut hic est Misoponus. Audendum est: compellabo hominem, quamlibet pannosus. Salve Misopone. MI. Iridem video. IR. Salve Misopone. MI. Tace inquam. IR. Quid, an salvere non vis? MI. Non isto quidem nomine. IR. Quid accidit? an non es idem, qui fueras? An cum veste mutatur et nomen? MIS. Non, sed verus receptum est. IR. Quis tum eras? MI. Apicius. IR. Ne te pudeat veteris sodalis, si quid melioris obtigisse
Bb fortune: